

it. De quo chrismate fudit venerandus Episcopus in fontem,
 sacratum. Viso autem Rex tanto miraculo, abnegatis diaboli,
 pompis & operibus ejus, petiit à Sancto Pontifice baptiza-
 ri, &c. Et sic post confessionem orthodoxæ fidei ad interro-
 gationem Sancti Pontificis secundum Ecclesiasticum morem,
 baptizatus est trina mersione, in nomine Sanctæ & Individuæ,
 Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus S. Et susceptus ab ipso Pon-
 tifice de sacro fonte, perunctus & Sacro Chrismate cum signo,
 Sanctæ crucis Domini nostri Jesu Christi. Et *Flodoardus* Pres-
 byter Remensis lib. I. Histor. Rem. Cap. 13. Ubi vero ad præpa-
 ratum baptisterii perventum est locum, clericus chrisma fe-
 rens à populo interceptus, ad fontem pertingere penitus est,
 impeditus, Sanctificato denique fonte nutu divino chrisma,
 defuit. Sanctus autem Pontifex oculis ad cælum porrectis,
 tacite traditur orasse cum lacrymis: & ecce subito columba,
 ceu nix advolat candida, rostro deferens ampullam, cœlestis,
 doni chrismate repletam, cujus odoris mirabili respersi necta-
 re inæstimabili, qui aderant, super omnia, quibus antea dele-
 ctati fuerant, replentur suavitate. Accepta itaq; Sanctus Præsul,
 ampulla, postquam chrismate fontem consperxit, species mox,
 columbæ disparuit. Rex autem tantæ gratiæ conspecto mira-
 culo lætus, actutum diaboli pompis & operibus abnegans, à,
 reverendo se petit Pontifice baptizari. Olei hujus cœlitus allati,
 memoriam instauravit in inauguratione sua Ludovicus XIII.
 cum die inunctionis intra & extra chorum ecclesiæ spargi in
 vulgus à Fœcialibus misilia curavit; quæ sic describit *Gram-
 mondus Lib. 1. p. 17. Nummi pars aurei pars argentei, quæ in insculpta
 effigies Regis eo habitu, quo solio regni recubuerat. Ex adverso nu-
 mismatis erumpebat fracta ex nube manū, sacram ampullam tenens,
 aureoq; rore irrigans solum, in hæc verba: GALLIS DATA MU-
 NERA COELI*, cujus nummi aurei archetypi exemplum ex-
 hibet